De nominibus graecis substantivi et adjectivi ambiguis

Dissertatio I

qua

orationes

ad celebrandam virorum meritissimorum

Jacobi Friderici a Rhod

et

Friderici a Groeben

memoriam

publice in auditorio maximo habendas

diebus XXII. et XXIII. Maji

indicit

C. A. Lobeck,

Antiq. Lit. Prof. Aq. R. Eques.

Adjectae sunt novae quaestiones civibus academicis ad tractandum propositae.

Regiomonti MDCCCXXXII.

Typis Academicis Hartungianis.

Nullam a Grammaticis regulam tradi, qua substantiva et adjectiva discernantur, minus peritis mirum videatur necesse est, si reputaverint id quasi solum et fundamentum esse artis Grammaticae; accuratius qui rem cognorint, omnino talem regulam tradi posse desperabunt. Adeo facile ex epithetis fiunt appellativa, adeo indiscreta est primitivorum et derivatorum similitudo, adeo late patet metonymiae usus, ut singula discernere stultitiae prope videri possit. Verum tamen aperienda est aliquando hujus quaestionis via, quam prosequentur alii quo usque humanae concessum est conjecturae.

§. 1. Adjectivorum, quae pro substantivis valent, duo sunt, ut summatim dicam, genera, unum naturale, alterum positivum, utriusque autem species multae variaeque, ad intelligendum haud perinde faciles. Apertissimus est intellectus eorum, quae rei notam quandam continent nulli alii rei convenientem, squamiger, laniger[1]), volucris, *πτερωτός*, *χειμάῤῥους*, quod

---

1) In Maximi Catarch. v. 327. *ἢν μὲν ἔῃ πανδῖα μετ' εὐσκόπου ἀρνειοῖο*, scribendum est *εὐπόκου*, quod epitheton ne quis miretur ad signum coeleste transferri, similiter poeta de Sign. Coelest. Anth. Lat. L. V. Ep. 40. squamiferri pisces, et Manilius IV. 744. laniger in medio sortitus sidera mundo. Neque hoc magis mirandum quam quod Oceanus deus *ἀψόῤῥοος*, Tellus *μέλαινα* dicitur.

nomen si nunquam junctim legissemus *χειμάῤῥους ποταμός*, tamen ipsa ejus significatio, de qua re dicatur, nos admoneret. Longissime vero a naturali intellectu remota sunt quae pro significatione sua in alias atque alias res accommodari possunt soloque arbitrio nuncupantium unam rem certam ita quasi usu ceperunt, ut, si absolute ponantur, hanc potius quam aliam quancunque significent, velut si piscis quidam *καλλιώνυμος* dicitur. Quae autem in medio utriusque generis collocata sunt atque notam quidem rei naturalem continent nec tamen privam ei neque ita in promtu positam ut ab omnibus prima specie agnoscatur, eorum intellectum plura adjuvant, primum formae quaedam proprietas, de quo mox dicetur; tum quod omnino pauca rerum genera eaque maxime celebria hoc modo signantur. Ita regiones vel ab incolis denominantur (*Λακωνική*) vel ab urbe principali (*Ἀντανδρία*) vel a proventibus aliave proprietate soli (*Πιτυοῦσσα*) vel rursus incolae et quod quisque locus eximium habet a loco et natalibus, *Κορίνθιος* [2]) *πράμνιος, θασία, κιμωλία* [3]), *θαψία*, carica, caunea, abellana. Animalium, quorum usus summus notitiaque omnibus communis est, nomina substantiva sunt,

---

2) Hoc et cetera gentilicia si quis audiverit nullo dum alio verbo addito, prius de hominibus quam de ulla alia re cogitabit, quia haec nobis ubique occurrit notio. Sed *θάσιος* de vino dici, *σάμιος* de placenta, non potest intelligi nisi additis ejusmodi verbis, quae harum rerum cogitationem in animo excitent; quo adminiculo opus non habet *πράμνιος*, quia a Pramno nihil denominatur praeter vinum. *Θασία ῥαφανίς* non ignobilis fuit sed nobilior *θασία ἅλμη*, quare hoc nomen facilius quam illud omitti potuit. Ex duabus rebus quas nomen *καδμεία* comprehendit, utra significetur, tantummodo e verborum contextu perspici potest; quanquam cadmia apud Dioscoridem constanter scribitur *καδμία*.

3) Sic etiam *σαμία* absolute vocatur Dioscor. Eup. II. 152. p. 332. ed. Sprengel. Sed multo saepius *γῆ σαμία, γῆ χία, γῆ σελινουσία, ναξία ἀκόνη* etc. neque extra seplasiam et medicorum tabernas haec nomina, quae minus trita sunt quam *κιμωλία*, omisso substantivo usurpata arbitror.

αἶξ, βοῦς, κύων etc. [4]), sed ignotioribus minusque pervulgatis agrestes nomina indidere significantia, pleraque a specie corporis ducta, *αἰγόκερως, αἱμόῤῥους, δασύπους, λυκόστομος, μελαγκόρυφος, ὀξύρυγχος, ῥινόκερως, φαβοτύπος, φοινικόπτερος, χρύσοφρυς* etc. quorum nonnulla fortasse a poetis [5]) aliisque zoologiae auctoribus profecta sunt. Alia a patria nomen habent, *φασιανός*, phasianus, africanae; gallo, quo melius ab homonymis discerneretur, additum est gallinaceus; quod mox in appellativum cessit. Neque paucarum plantarum vocabula epitheta sunt, *ἀρτεμισία, ἀχίλλειος, γεντιανή* [6]), *ἡρακλεία, κιρκαία, νυμφαία, κηπαία, μηδική, πετραία, σπειραία*, blattaria, canaria, strumea etc. Arbores eas, quibus nomina primitiva non sunt, Graeci plerumque, ut in novitiis linguis fieri solet, a fructibus, tanquam a parte potiori, aut ab alia proprietate denominant *ἀμυγδαλῆ, συκῆ, ῥοδῆ, ἀκτῆ* [7]), *κιτρέα, μηλέα, μορέα*,

---

4) Equidem non nego *κύων, δράκων, βοῦς, ἀετός*, aquila, *ῥόδον, ἑρπυλλον*, si primam originem spectamus, naturalia esse, sed in usu communi valent pro impositiciis.

5) Pollux I. 229. *οἱ ποιηταὶ καὶ ἀδίαντόν τι ἄνθος καλοῦσι καὶ ἀμάραντον καὶ λευκόϊον*, quae omnia in vulgus recepta sunt; idemque de quibusdam animalium nominibus suspicari libet, pro plebejis increbuisse poetica; quanquam sermonem plebejum saepe poetici simillimum esse alio loco ostendi Aglaoph. p. 846. sq.

6) Poetica forma *γεντιάς* in versibus Andromachi ap. Galen. de Antid. I. 6. p. 41. T. XIV. Kuehn. Lexicographos praeteriit. *Ἄγνος* pro *ἄγονος* dici, plerique veterum statuunt v. Niclas. ad Geoponn. II. 4, 1. atque eodem genere *ἡ πολύγονος, ἡ πενταδάκτυλος* a Geoponicis dicitur, quae vulgo neutra sunt ut cetera herbarum nomina composita.

7) Oxytonos *ἀκτή* scribitur non solum in Theophrasti Edd. vett. ubi Schneiderus perispomenon fecit, sed etiam constanter apud Hippocratem De diaet. L. II. p. 688. T. 1. de Nat. Mul. p. 541. T. II. de Mul. Morb. p. 878. nec adjectivum *ἀκτέϊνος* est apud Theophrastum sed *ἄκτινος* et compositum *Χαμαιάκτη* auctoribus materiae medicae tam crebrum, ut cum vitiosis *μυγάλη, βολβοφάκη* et similibus conferri nequeat. Lucia-

castanea, citrea etc. Ac si quis *μηλέα, μορέα,* adjectivorum ritu, ut veteres volunt v. Eustath. p. 1963, 54. a *μῆλον, μόρον* derivata esse neget, sed potius ita statuat, de una stirpe duo extitisse paronyma substantivi generis, unum *μηλίς,* alterum *μηλέα,* et hoc quidem eodem modo figuratum quo *γενεά, δωρεά, ἐρέα,* cavea, linea, solea, equidem in universum nihil pro certo affirmabo, quum praesertim arborum et fructuum nomina saepe levi quamlibet declinatione distinguantur [8]) ac ne similium quidem *πτελέα, ἰτέα, ἀκτέα* etyma in aperto sint [9]), sed illud

---

nus tamen qui in Tragodopodagra metri causa *ἀκτέα* scripsit, extra versum *ἀκτῆ* dicturus fuisset; et, mirum, *ακτέος* in Theophr. H. III. 4, 2. libri tuentur omnes; postremo *Χαμαισύκη* scribitur in Galen. Expos. s. *Πέπλος* p. 542. ac perispasin saepe negligi certis constat exemplis; Illud ipsum nomen, quo modo usus sum, Jacobsius in Aeliani libris nunc *μυγαλή* scripsit II. 37. alias *μυγαλῆ* VI. 22. idemque variat in uno et eodem commate Dioscor. Eup. II. 123. p. 322. *ἀδελφιδή* ante Bekkerum legebatur in Dem. c. Leoch. p. 1084, 22. *ἐρινά* in Aristot. H. An. V. 32. ubi parum expedit Schneideri adnotatio T. II. 393. *ἀπλάς* (calceos) extat in Cod. Aug. Demosth. c. Canon. p. 1267. 23. quod nomen *ἅπλας,* tanquam substantivum, scribitur in Anecdd. Bekk. p. 205. Atque haec non tacite neque apud quosvis scriptores corrigenda esse ostendit Grammaticorum adnotatio, pluralia *ἐρεᾶ, λινᾶ, τριπλᾶ* a nonnullis brevi ultima pronunciari v. Moeris p. 369. et not. ad Phryn. p. 234.

8) Ammonius *Κέδρος θηλυκῶς τὸ δένδρον, ἀρσενικῶς ὁ καρπός.* Thomas *Κερασός τὸ δένδρον, κέρασος δὲ ὁ καρπός.* Pamphilus Athen. II. 52. F. *ἀμυγδάλη ἐπὶ τοῦ καρποῦ, τὸ μέντοι δένδρον ἀμυγδαλῆ.* Pollux I. 232. *κοκκύμηλον οὐδετέρως ὁ καρπός, ἀρσενικῶς δὲ τὸ δένδρον ἡ μέση κωμῳδία.* Idem VI. 80. *ῥοά ὁ καρπός, τὸ δένδρον δὲ ῥοιά.* Quam incerta haec sint omnia, nemini ignotum est.

9) Si conjecturam sequi liceat, *ἰτέα* cum latinis vieo, vimen, vitis, cognatum esse, *πτελέα* patulam significare dicemus; patula ulmus Pers. III. 6. Pteleae nymphae nomen in omnibus codd. Athenaei III. 78. B. *πετυλία* scribitur. Hesychius *Πετῆλας τοὺς θαμνώδεις φοίνικας. Ακτή* a fragilitate nomen habere Bodaeus suspicatus est.

non video, quomodo *κοκκυγέα*, *κοκκυμηλέα*, picea, laurea, vinea, castanea, acrifolia, adjectivorum numero eximi possint. Neque dictu absonum videtur, ex duobus adjectivis *μήλινος* et *μήλεος* (ut *ῥόδινος* et *ῥόδεος*) posteriori hanc peculiarem significationem attributam esse, quae soli feminino generi convenit; itaque *μηλέα*, id est malifera, a *μηλίς* tantundem abesse quantum a *νεβρίς νεβρῆ*, ab *αἰγίς αἰγῆ*. Similiter, si qua est, ut doctis placet, inter cornu, cornus, *κέρας*, *κραναός*, cognatio, nomen arboris *ἡ κράνος* germanum substantivum esse suspicemur, *ἡ κρανία* sive *κρανέα* sive *κράνεια* [10]) eponymum, hoc est adjectivum in substantivi naturam conversum, proprie significans corneam, cui similia quaedam *μυρσίνη*, *σικυωνία*, *βρυωνία* etc. infra producemus. Ceterum, ut in toto tractatu, ita in hac disputationis nostrae parte evitari non potuit, quin vocabula, quae penitus exuta adjectivorum natura ex epithetis appellativa, e mobilibus immobilia facta sunt ac persaepe etiam accentum mutarunt, permixte ponerentur cum iis, quae et substantivorum significationem participant nec suam propriam amittunt. Quorum illa brevitatis causa pseudosubstantiva appellabo, haec substantivorum vicaria. Loquor autem de adjectivis, quae, etiamsi absolute pronunciarentur, intelligi possent, sicut nomen

---

10) *Κράνεια* propter ascitam substantivi significationem e paroxytono proparoxytonon factum legitur apud Homerum, in Epigramm. I. Anytes et Niciae et in Plutarch. V. Rom. c. XX. ubi Schaeferus *κρανεία* optabat. Et Hamadryadem quoque arboris eponymam Pherenicus Athen. III. 78. B. non *Κράνειον* sed *Κράνειαν* dixisse videtur. Apud Theophrastum *κρανεία* et *κρανία* variat; *τῆς κρανείας* Eur. Phaeth. Fr. XI. Paus. III. 13, 3. Poll. V. 20. etc. *τῆς κρανίης* Hippocr. Mochl. T. III. p. 306. His accedit tertia forma *κρανέα*, quae cum illa certat in Geoponn. X. 87. 4. ut *κερατία* et *κερατέα*, *κερασία* et *κερασέα*, *κυδωνία* et *κυδωνέα*. Cetera occupavit Schneiderus in Ind. Theophr. s. *Κράνεια*.

περσικαί, vel *σχισταί*[11]), nullo addito vocabulo quod intellectum juvaret (quemadmodum in tabulis publicatorum fieri solet) tamen, quid significaretur, sciri potuisse arbitror. Neque diffiteor hoc plerumque cognitu perdifficile esse, nobis quidem, qui ejusmodi vocabula in veterum scriptis cum aliis ita contexta legimus, ut quid unumquidque pro se ipsum valeat, raro judicari possit. Sed idem ab hac quaestione remota habeo primum omnia, quae rei, quam significant, vel unice vel eximie conveniunt, *ὁ περίπτερος, ἑωςφόρος, ἡ τριήρης, ἐννεάκρουνος, δεξιά*, pluvia, suasoria, bijugi etc., ac multo magis humanarum actionum vocabula *γεωργός, κυνηγός* etc. tum locorum et aedificiorum urbicorum nomina domestico cujusque gentis usu trita, alienigenis ignota, *ἡ ποικίλη, ἡ βασίλειος*, Appia, Trigemina, Novae, Veteres, postremo ea quorum notio verbo definitur sive solo, ut fit in constructione etymologica, *δικάσας μίαν*, sive adjectivi forma propria adjuto, *ἄλλην βαδίζω, κόπτων ἀμφοτέραις, ἔπινε πολύν*, ubi verbo notio potulenti continetur, genus autem adjectivi masculinum, quale sit illud, declarat. Sed rem ipsam aggrediar.

§. 2. Latina nomina quae attuli, picea, laurea, africana etc. manifesto retinent genus grammaticum nominis generalis arbor, fera, graeca autem nullum ejusmodi adminiculum habent sed appellantur eo genere, quo terrae foetus et animalia pleraque appellari solent, haec masculino, illi feminino. Itaque vel hac nota distinguuntur a nominibus edulium, partim a materia ductis, *ἀλλᾶς, ἄζυμος, ἄμυλος, πυραμοῦς, σησαμοῦς, καρδάμη, φακῆ, σησαμῆ, θριδακίνη, κεγχρίνη, κριθαία*, partim a

11) Haec ut facilius intelligerentur etiam si sola starent, fortasse aliquid contulit numerus pluralis, quo ejusmodi nomina appellari solent, *ἁπλαῖ, βλαῦται, βαυκίδες, πηλοπατίδες, περιβαρίδες, ἀναξυρίδες* etc.

a forma vel a modo conficiendi, ἔγχυτος, μυττωτός, ναστός, στρεπτός, ψαιστός, πακτή, παλυντή, πάστη, τριπτή, φύστη [12]), φώκτη, pasta, tracta etc. quae varias species significant rei, cui commune nomen est ἄρτος et μᾶζα, eamque generis causam habent. His subjungi possunt vocabula pellium, ἀρκτῆ, παρδαλῆ etc. quae pariter ad certum substantivum referuntur δορά, vulgo omitti solitum, quia haec pars corporis animalium et prima adspectu et ad usum appositissima est [13]) ac nonnunquam ita oblitteratum ut adjectiva illa ipsam etiam substantivi formam imitentur, velut ἰχθύα et ᾠα, de quo Pollux VI. 62. τὴν δὲ ᾤαν (tunicae) καὶ ὄαν λέγουσιν, ὄα δὲ καλεῖται καὶ ἡ τοῦ προβάτου δορά et X. 180. ᾤαν καὶ τὴν μηλωτὴν ἐκάλουν ἴσως ἀπὸ τῆς ὄϊος. Atque hoc ex universa hac disputatione patebit, translatis a proprio intellectu in aliud vocabulis persaepe factum esse ut substantivum, cujus in locum cesserint, demonstrari nequeat.

---

12) Sic plerumque scribitur nomen non ad regulam factum; item φώκτη, et nonnunquam πάστη v. Interppr. Poll. VI. 56. de καρδάμη dixi in Aglaoph. p. 1076. Sed ναστόν placentam significare, Νάστον urbem Suidas auctor est.

13) Ἀνθρωπηΐην Herodotus hominis cutem appellavit sed detractam vel detrahendam, neque alium auctorem novit Pollux II. 5. Id, quo natura nos vestivit, δέρμα vocatur, non δορά, nedum ἀνθρωπῆ. Ceterum hoc quoque genus nominum inconstantia non vacat; ἰξάλη multo saepius scribitur quam ἰξαλῆ, neque ego mirer in nomine obsoleto titubatum esse. In Herodoteo illo ἀνθρωπηΐη consentiunt codices, variant in ὠμοβοέης, ὠμοβοΐης, ὠμοβοείης VII. 91. galea modo κυνῆ, modo κυνέη scribitur, pluralia sibi constant in Codd. et Editt. Herodoti, τὰς αἰγέας, τὰς ἀλωπεκέας, τὰς παρδαλέας καὶ λεοντέας. Qua ratione Herodianus Philet. p. 445. ἀρνέα et λυκέα contrahi neget, prorsus non apparet.

Sed his omissis mandata persequar, promulgandis quaestionibus literariis, quae juventuti academicae hunc in annum propositae sunt consueto citius, ne tempus ad elaborandum desit. Sunt autem hae:

I. Theologica.

Disseratur de notionibus ad religionem spectantibus, quas a Judaeis post exilium usque ad tempora Christi novas receptas esse, antiquitas testatur.

II. Ordinis Jurisconsultorum.

Exponatur theoria praescriptionis acquisitivae servitutum et quaeratur imprimis utrum confessoria agens semper probare debeat tanquam jus verum non precario possessionem servitutis litigiosae occupasse atque ea per tempus praescriptum non interruptum fuisse usum; ad l. 10. D. pr. si servitus etc. (VIII. 5.) et Cod. jur. communis Pruss. I. 22, 14. nec non juris provincialis Pruss. de anno 1721 libr. III. Tit. II. artic. III. §. 1—5. novo subjiciatur examini.

III. Ordinis Medicorum.

Exponatur ex observatione propria puris indoles, origo et in resarcienda materia animali per sic dictam granulationem vis.

IV. Ordinis Philosophorum.

Prima philosophica de scepticismo practico. Exponatur:

1) qua ratione hic scepticismus sit distinguendus a scepsi theoretica;
2) quomodo mentes non male moratas subire possit;
3) quantum in his ipsis officiat honestati;
4) in philosophia practica quid praesidii sit, ut ab illo nobis caveamus.

Secunda statistica de ratione, qua in civitatibus Americae septentrionalis liberis, in Britania et Gallia cives publice repraesentantur et quid uniuscujusque earum civitatum forma repraesentativa (Repräsentativsystem), si ad causas revocetur, proprium et peculiare habeat.

Tertia grammatica de verbis linguae latinae auxiliaribus, periphrasticis et expletivis, quoad ex scriptoribus antiquioribus et antiquariis cognosci possunt.